§ 108. Nulla res tam utile est, quae non abusu noxia fieri possit. Nemo hominum tantus est, qui nullius hominis indigeat. De futuris rebus difficile est dicere, nisi res est ejusmodi, cujus exitus provideri possit. Elephantes multo sunt majores, quam qui stabula nostra per fores intrari possint.

quae, instead of ut, *that.*
noxius, a, um, *hurtful, injurious.*
indigeo, 2 conj., *I stand in need of.*
difficilis, is, e, *hard.*
ejusmŏdi, *of that kind.*
cujus, stands for *ut ejus.*
cujus exitus, *that its result.*
provideo, visi, visum, 2 conj., *I see before.*
stabulum, i, *a stable.*
foris, is, *the* or *a door.*
intro, 1 conj., *I go into.*

XVII. Exercise on the Accusative with the Infinitive.

After Verbs, which denote an action of our *external* or *internal faculties*, or a *declaration.*

§ 109. Noxiae plantae a salutaribus numero longe superantur. Videmus, *noxias plantas* a salutaribus numero longe *superari.* Glacies est gelida, lapides duri. Tactu cognoscimus, *glaciem esse gelidam, lapides duros.* Calabria terrae motu saepe est concussa. Audimus, *Calabriam,* terrae motu saepe *esse concussam.* Glacie et nive altissimi montes semper sunt tecti. Scimus, glacie et nive *altissimos montes* semper *tegi.* Animus cum corpore non interit. Errant, qui *animum* cum corpore *interire* credunt.

numero, ablat. of númerus, i, *a number*.
longe, *by far*.
supero, 1 conj., *I excel*.
video, vidi, visum, 2 conj., *I see*.
glacies, ĕi, *the ice*.
gelidus, a, um, *cold*.
lapis, idis, *a stone*.
durus, a, um, *hard*.
tactu, *by the touch*, ablat. of tactus, us.
motu, *by the violent motion*, ablat. of motus, us.
concutio, cussi, cussum, 3 conj., *I shake*.
nix, nivis, *the snow*.
tego, texi, tectum, 3 conj., *I cover*.
intereo, ii, itum, 4 conj., *I die*.

§ 110. Homines plerumque diu vivunt. Sperant plerumque *adolescentes* diu *se victuros* esse. Hesternus dies non potest restitui, et crastinus est incertus. Scito, *hesternum diem non posse* restitui, et *crastinum* esse *incertum*. Corpus nostrum aliquando suscitatur. Christiani credunt *corpus nostrum* aliquando *suscitatum iri*. An putas, *hunc mundum* casu quodam fortuito *esse ortum?* Unde intelligimus *Deum esse?*

plerumque, *oftentimes*.
diu, *long*.
spero, 1 conj., *I hope*.
hesternus dies, *yesterday*.
crastinus (scilicet dies,) *to-morrow*.
scito, impt. of scire, *know ye*.
aliquando, *hereafter*.
suscitatum iri, *will be quickened*.
an putas, *dost thou think?*
mundus, ī, *the world*.
casu quodam, *by a certain occasion*.
fortuito, *by chance*.
orior, ortus sum, 4 conj., *I originate*.
unde, *how!*

After Verbs denoting *indication*, *information*, *assertion*.

§ 111. Luna terrae nostrae est similis. Mathematici docent, *lunam* terrae nostrae *esse similem*. Terra est rotunda. Navigationes circum terram satis arguunt, *eam esse rotundam*. Stulti sunt, qui, *Deum esse*, negant. Recte Solon dixit, ante mortem *neminem dicendum esse beatum*. Templum Hierosolymitanum a Tito, Imperatore Romano, incendio delatum est. Historia narrat, *templum Hierosolymitanum* a Tito, imperatore Romano, incendio *esse deletum*. Totius mundi adspectus satis indicat, non *esse eum fortuitum*.

mathematicus, i, *a mathematician*.
doceo, cui, doctum, 2 conj., *I teach*.
rotundus, a, um, *round*.
stultus, a, um, *foolish*.
neminem dicendum esse beatum, *that nobody could be called happy*.
Hierosolymitanus, a, um, *what belongs to Jerusalem*.
deleo, evi, etum, 2 conj., *I destroy*.
incendium, i, *a fire*.

After Verbs denoting *willingness*, *desiring*, *permission*.

§ 112. *Pacem conservari*, omnes boni optant. Bonus ma-

gistratus non patitur, civibus *injuriam fieri.* Natura *suos* cuique *liberos carissimos esse* voluit. Leges civiles non sinunt, *quemquam* injurias sibi illatas *ipsum ulcisci.*

pax, acis, *the peace.*
opto, 1 conj., *I wish, am willing.*
patior, passus sum, 3 conj., *I permit, suffer.*
sino, sivi, situm, 3 conj., *I suffer, allow.*
illatus, *inferred.*
ulciscor, ultus sum, 3 conj., *I take revenge.*

After the Verbs denoting *equity, expediency, necessity, conclusion.*

§ 113. Aequum est, *imprudentes* prudentibus *obtemperare.* Omnibus bonis expedit, *exerceri leges.* A Deo, necesse est, *mundum regi.* Umbra terrae in eclipsi lunae rotunda est; sequitur ergo, *globosam esse terram.* Rosas carpere si velis, spinas haud fugias necesse est.

aequus, a, um, *just.*
obtempero, 1 conj., *I obey.*
expedit, verb impers., *it is expedient.*
rego, rexi, ctum, 3 conj., *I rule.*
sequitur ergo, *it follows therefore.*
carpo, psi, ptum, 3 conj., *I pluck.*
spina, ae, a *thorn.*
haud, *not.*
fugio, fugi, itum, 3 conj., *I flee, shun.*

After the Verbs *jubere, dubitare.*

§ 114. Fac lubens, quae parentes *te facere* jubent. Deus *Israëlitas* ex Aegypto *migrare* jussit. Croesus, rex Lydiae, Soloni *monstrari* jussit *omnes* regiae suae *thesauros.* Papa, Pius Sextus, *Pomtinas paludes exsiccari* jussit. Non dubitamus, *Deum gubernare* omnia. Potesne dubitare, *esse Deum?* Non est dubium, *omnia* Dei *consilia esse optima.*

lubens, entis, *willing.*
jubeo, jussi, jussum, 2 conj., *I bid, command.*
monstro, 1 conj., *I show.*
palus, dis, *a moor, swamp.*
exsicco, 1 conj., *I dry up.*
dubito, 1 conj., *I doubt.*
consilium, i, *a design.*
optima, superl. of bonus, melior, optimus, *good.*

XVIII. Exercise on the Supines.

The First Supine terminating in *um* is used with Verbs expressing a motion to a place, and is to be translated *in order to.*

§ 115. Moses in Aegyptum missus est, Israëlitas liberatum. Israëlitae in Aegyptum migrarunt, ibi habitatum. Innumeri olim homines in Graeciam profecti sunt, spectatum ludos Olympicos. Xerxes in Graeciam venit bellatum. Cubiculum vespere intramus, ibi dormitum.

liberatum, supine, *in order to liberate.*
mitto, misi, missum, 3 conj., *I send.*
migro, 1 conj., *I migrate.*
habito, 1 conj., *I live, dwell.*
habitatum, supine, *in order to dwell.*
proficiscor, profectus sum, *I go.*
specto, 1 conj., *I look at.*
ludus, i, *the play.*
bello, 1 conj., *I war.*
cubiculum, i, *a bed-chamber.*
vespere, *in the evening.*
ibi, *there.*
dormio, 4 conj., *I sleep.*

The Second Supine terminating in *u* is used after Adjectives signifying *good* or *bad*, *agreeable* or *disagreeable*, *lazy* or *difficult*, etc., and is translated *to.*

§ 116. Omnio Deo sunt effectu facilia. Animi natura difficillima est explicatu. Fuge, quidquid turpe est dictu. Alpes adscensu difficiles sunt.

effectu, *to effect*, 2d supine of efficio, feci, fectum, 3 conj., *I effect.*
fugio, fugi, itum, 3 conj., *I fly, avoid.*
turpe, *bad.*
dico, xi, ictum, 3 conj., *I say.*
ascendo, 3 conj., *I ascend.*

XIX. Exercise on the Gerund.

NOMINATIVE CASE.

§ 117. Non scholae, sed vitae *discendum est.* Tempore et occasione *utendum est.** Non est ante *edendum,* quam fames imperat. Artifici in sua arte *credendum* est.

disco, didici, 3 conj., *I learn.*
discendum est, *one must or has to learn.*
scholae, *for the school.*
edo, edidi, ditum, 3 conj., *I eat.*
ante, *before.*
fames, is, *the hunger.*
artifex, icis, *an artificer.*

* Remark.—The Gerund, being a part of the Verb, governs, of course, the same case.

GENITIVE CASE.

§ 118. Maxime aestimanda est ars *scribendi.* Juvenilis actas tempus est discendi. Ipsa voluntas *peccandi,* peccatum est. Bonus puer semper est *discendi* studiosus. Diligens discipulus cupidus est multa *discendi.* Multi cupidiores sunt *emendorum* librorum, quam *lengendorum.* Qui latine scribunt, studiosi solent esse Ciceronis *imitandi.*

maxime, *most of all.*
aestimanda est, *is to be esteemed.*
ars scribendi, *the art to write or of writing.*
juvenilis, is, e, *youthful.*
pecco, 1 conj., *I sin, transgress.*
cupidus, a, um, *desirous.*
emendo, 1 conj., *I improve, correct.*
imitandi, gerund genit. of imito, 1 conj., *I imitate.*

DATIVE CASE.

§ 119. Charta bibula inutilis est *scribendo.* Aqua utilis est *bibendo.* Non omnis debitor par est *solvendo.* Boves *oneribus gestandis* non sunt idonĕi. Gramen *pecoribus nutriendis* nascitur.

bibulus, a, um, *drinking in.*
bibula charta, *blotting-paper.*
scribendo, *for to write on*, dative gerund from scribo, psi, ptum, 3 conj., par, aris, *able.*
solvendo, *for to pay*, dat. gerund, from solvo, 3 conj.
gestandis, *for to carry*, from gestio, ivi, 4 conj.
idonĕus, a, um, *fit.*
gramen, inis, *the grass.*
pecus, oris, *the beast.*
nascor, natus sum, 3 conj., *I grow.*

ACCUSATIVE CASE.

§ 120. Aculĕus datus est apibus ad *pungendum,* rostrum ad *sugendum.* Calamis anserinis utimur ad *scribendum.* At *tuendam* sanitatem multum confert munditia. Fruges ad *sustentandam* hominum vitam sunt necessariae. At amicitiam *parandam* confert morum similitudo.

aculĕus, i, *the sting.*
apis, is, *the* or *a bee.*
ad pungendum, *for to sting*, accus. gerund from pungo, pupugi, punctum, 3 conj.
rostrum, i, *a bill, beak.*
calamus anserinus, *a goose-quill.*
tueor, tuitus sum, 2 conj., *I take care of.*
multum confert, *assists much, contributes much.*
munditia, ae, *the cleanliness.*
paro, 1 conj., *I gain.*
mos, oris, *a manner.*
similitudo, inis, *similitude.*

ABLATIVE CASE.

§ 121. A facillimis in *discendo* ordiri oportet. Morbum facile sibi contrahit, qui in *edendo bibendoque* modum excedit. Scriba a *scribendo,* venator a *venando* nomen habet. Boni pueri maximam voluptatem ex *discendo* capiunt. Ex *mentiendo* multa mala nascuntur. *Docendo* discimus. Tertia vitae pars *dormiendo* amittitur. Saepe *scribendo* bene scribere discimus.

ordior, orsus sum, 4 conj., *I begin, commence.*
morbus, i, *the* or *a sickness.*
modus, i, *the measure.*
excedo, cessi, cessum, 3 conj., *I exceed.*
scriba, ae, *a scribe.*
venator, oris, *a hunter.*
mentior, itus sum, 4 conj., *I lie.*
ex discendo, *from learning.*
capio, cepi, captum, 3 conj., *I receive.*
dormiendo, *in sleeping*, ablat. gerund, from dormio, 4 conj.
amitto, si, missum, 3 conj., *I lose.*

§ 122. In *eligendis amicis* cautio est adhibenda. In *litteris addiscendis* multa opus est diligentia. In *bonis libris*

legendis attentus sis oportet. Fuge ejusmodi socios, qui a *virtute colenda* te abducant. *Rebus naturalibus explicandis* superstitio minuitur. Domitianus imperator quotidie aliquod tempus *necandis muscis* transegit.

in eligendis amicis, *in selecting our friends.*
adhibenda est, *is to be used.*
addisco, 3 conj., *I learn.*
socius, *a companion.*
colo, ui, cultum, *I practise.*
rebus naturalibus explicandis, *by developing natural things.*
minuo, ui, nutum, 3 conj., *I lessen, diminish.*
neco, 1 conj., *I kill.*
musca, ae, *a fly.*
tempus ago, *I pass time.*

XX. Exercise on the Participles.

§ 123. Sol *oriens* noctem pellit. Maxima *volantium* avium gryphus est. Pruina est ros *gelatus*, glacies aqua *congelata*. Ventus est aër *commotus*. *Inventum* qui non reddit, furtum committit. Jacet corpus *dormientis*, ut mortui. *Laboranti* nullum tempus longe est. Spes vitae aeternae solatur *morientes*.

oriens, entis, present partic. from orior, ortus sum, 3 conj., *I rise.*
sol oriens, *the rising sun.*
pello, pepuli, pulsum, 3 conj., *I chase away.*
volo, 1 conj., *I fly.*
gryphus, i, *a griffin.*
pruina, ae, *hoar frost.*
ros, roris, *dew.*
gelatus, *frozen*, perfect part. from gelo, 1 conj.
commoveo, ovi, otum, 2 conj., *I move.*
invenio, veni, ventum, 4 conj., *I find.*
furtum, i, *a theft.*
laboro, 1 conj., *I work.*
solor, latus sum, 1 conj., *I comfort.*

§ 124. Quanta est sapientia Dei, omnia *gubernantis!* Homines Deo *obedientes*, laude digni sunt. Sapiens nullam amat voluptatem, a virtute *sejunctam*. Homo improbus, gratiam Dei *recuperaturus*, resipiscat necesse est. Male *agentis* animus nunquam est sine metu. Se solum *amanti* nulli sunt amici. Per scalam ascendit in tecto *ambulaturus*.

gubernantis, *in governing*, gent. of the 1st partic. from *guberno*, 1 conj.
sejungo, xi, ctum, 3 conj., *I separate.*
recuperaturus, *will regain*, future partic. from recupero, 1 conj.
resipisco, pui, 3 conj., *I repent.*
agentis, gent. of the 1st partic. from ago, *I do.*
male agentis, *he who does something wicked.*
nunquam, *never.*
amanti, dative of the 1st partic. from amo, 1 conj., *I love.*
se solum amanti, *he who loves only himself.*
per scalam, *by means of a ladder.*
ambulaturus, *he who will walk.*

§ 125. Davides, Goliathum *interficiens*, maximum hostibus terrorem injecit. Xerxes, a Graecis *victus*, in Persiam refugit. *Defuncto* Davidi Solomo filius successit. Sol *oriens* et *occidens* diem noctemque efficit. Frigus aërem *purificans*, multas morborum causas removet. Deus Josephum in Aegypto, multa mala *perpessum*, ad summos honores evexit. Alexander, Aegypto *potitus*, Alexandriam condidit. Leo *esuriens* rugit. Nebulae *cadentes* serenitatem promittunt. Equi *bibituri* os nasumque aquae injiciunt. Leo *satiatus*, nec *lacessitus* plane innoxius est. Radii solis, ex pluvia *repercussi*, iridem faciunt.

interficio, feci, fectum, 3 conj., *I slay*.
injicio, eci, ectum, 3 conj., *I cause*.
vinco, vici, victum, 3 conj., *I conquer*.
defunctus, *dead*, partic. from defungor, 3 conj.
sol oriens, *the sun rising*.
sol occidens, *the sun setting*.
efficio, feci, fectum, 3 conj., *I bring to pass, make*.
perpetior, pessus sum, 3 conj., *I suffer*.
eveho, xi, ectum, 3 conj., *I promote*.
potior, potitus sum, 4 conj., *I conquer*.
esurio, ivi, itum, 4 conj., *I am hungry*.
rugio, ivi, itum, 4 conj., *I roar*.
cado, cecedi, casum, 3 conj., *I fall*.
serenitas, tatis, *clear weather*.
bibo, bibi, bibitum, 3 conj., *I drink*.
os, oris, *the mouth*.
lacessitus, *provoked*, partic. from lacesso, ivi, itum, 3 conj.
radii solis, *the rays of the sun*.
pluvia, ae, *the rain*.
repercussus, *reflected*, partic. from repercutio, cussi, cussum, 3 conj.
iris, idis, *the rainbow*.

§ 126. Aestate sol diutius in coelo *morans*, aestu omnia complet. Sine aqua anates degere non possunt, magnam victus partem in stagnante aqua *quaerentes*. Noachus, navem ingentem cum suis *ingressus*, evasit periculum, in undis pereundi. Avarus, omnia *possidens*, nihil usurpat. Pilatus Christum, crimine *absolutum*, capite damnavit. Pii homines coelum *appetentes* profanis terram relinquunt. Aeneas patrem suum, humoris *impositum* e flammis Trojae eripuit.

aestas, atis, *the summer*.
diutius, *longer*.
morans, *because it remains*, partic. from moror, 1 conj.
aestus, us, *the heat*.
compleo, evi, pletum, 2 conj., *I fill*.
anas, tis, *a duck*.
dego, degi, 3 conj., *I leave*.
victus, us, *food*.
ingens, entis, *very great*.
ingredior, gressus sum, 3 conj., *I enter*.
unda, ae, *a wave, any water*.
pereo, ivi, itum, 4 conj., *I perish*.
omnia possidens, *although he possesses everything*.
usurpo, 1 conj., *I use*.
absolvo, vi, solutum, 3 conj., *I acquit*.
capite damno, *I condemn to death*.

appetentes coelum, *aspire to heaven*, partic. from appeto, 4 conj.
humerus, i, *the shoulder*.
eripio, pui, reptum, 3 conj., *I rescue*.

§ 127. Christus olim advenit, saluti hominum *consulturus*, et redibit aliquando, judicium de omnibus *acturus*. Paulus Damascum profectus est, doctrinam Christianam *persecuturus*, sed discessit Damasco, eandem *praedicaturus*. Boni parentes liberos suos bonis moribus *erudiendos* curant. Judaei Pilato Jesum tradiderunt, supplicio *adficiendum*.

consulturus, *for to care*, partic. fut. from consulto, 1 conj.
redeo, 4 conj., *I return*.
judicium, i, *the judgment*.
judicium acturus de hominibus, *for to hold judgment over mankind*.
persequor, cutus sum, 3 conj., *I persecute*.
discedo, cessi, cessum, 3 conj., *I depart*.
praedico, 1 conj., *I preach*.
erudio, ivi, itum, 4 conj., *I instruct*.
supplicio adficiendum, *for to punish him*.

§ 128. Christiani annos numerant a Christo *nato*, Judaei a mundo *condito*, Romani olim a Roma *condita*, Graeci ab *institutis* Olympicis. Mille annis ante Christum *natum* Salomo et Homerus vixerunt. Anno post Christum *natum* millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo Columbus Americam detexit.

a Christo nato, *after the birth of Christ*.
a mundo condito, *after the creation of the world*.
detego, texi, tectum, 3 conj., *I discover*.

§ 129. Sapienter agit, qui liberalitate utitur, se ipsum non *spolians*. Mors multos homines opprimit, non *opinantes*. Multi homines vituperant libros, non *intellectos*. Etiam voce et incessu dignoscimus amicum, cum eum *loquentem* audimus, aut videmus *incedentem*. Quam jucundum est, lusciniam audire *canentem*?

sapienter, *wise*.
non spolians, *without plundering, to plunder*.
opprimo, pressi, pressum, 3 conj., *I surprise*.
opinor, atus sum, 1 conj., *I imagine*.
loquor, cutus sum, loqui, *I speak*.
vitupero, 1 conj., *I rebuke*.
incessus, us, *the step*.
incedo, cessi, cessum, *I walk*.
quam jucundum, *how delightful*.
cano, cecini, cantum, 3 conj., *I sing*.

XXI. Exercise on the Ablative Absolute.

§ 130. *Augusto imperante* Christus natus, *Tiberio imperante* mortuus est. *Mose* libros suos *scribente*, Graeci nondum intelligebant litteras, quas Cadmus eos docebat, *Israëlitis* Palaestinam *occupantibus*. Samuel, *Israëlitis* regem *postulantibus*, Saulum e tribu Benjamina regem consecrabat.

Augusto imperante, abl. absolute, *as Augustus was governing*, under the reign of Augustus.
intelligo, lexi, lectum, 3 conj., *I understand*.
occupo, 1 conj., *I am in possession of*.
postulo, 1 conj., *I demand*.
tribus, us, *a tribe*.

§ 131. *Artaxerxe regnante*, Zeuxis et Parrhasius pictores clari fuerunt. *Aliis* dormiendo, nugando et ludendo magnam vitae partem *perdentibus*, tu contra omne tempus utilibus rebus insume. Cyrus Croesum, Lydiae regem, *fuso* ejus *exercitu*, cepit. Alexander, *Indis subactis*, Babylonem rediit. *Turquinio Superbo* Roma *expulso*, Romani duo sibi consules pro rege creaverunt.

pictor, oris, *a painter*.
clarus, a, um, *celebrated*.
aliis perdentibus, *whilst others squander away*.
nugor, gatus sum, 1 conj., *I toy, joke*.
insumo, sumpsi, sumptum, 3 conj., *I employ*.
fundo, fusi, fundum, 3 conj., *I vanquish*.
fuso exercitu, *after he had vanquished the army*.

§ 132. *Sole oriente* lucescit, *occidente* vesperascit. *Hieme imminente*, plurimae aves avolant. Leaenae saevissimae sunt, *foetu erepto*. Romani, *finito bello*, Jani templum claudebant.

sole oriente, *when the sun rises*.
lucescit, *it becomes day*.
vesperascit, *it draws towards evening*.
immineo, ui, 2 conj., *I am at hand, approaching*.
leaena, ae, *a lioness*.
saevus, a, um, *fierce*.
foetus, us, *a young*.
eripio, pui, reptum, 3 conj., *I take away*.
claudo, clausi, clausum, 3 conj., *I shut*.

§ 133. Gelu hieme nihil frugibus nocet, *nive* terram *tegente*. America orbi antiquo tot saeculis incognita fuit, *vasto mari interjecto*. *Omnibus hominibus* nos *deserentibus*, Deus non deserit. Josephus fratribus injuriam, ulciscendi *oblata occasione*, condonavit. Stultus est, qui res leviores curat, *gravioribus neglectis*. Hannibal, *Alpibus superatis*, in Italiam venit.

gelu, u, *the frost.*
fruges, um, plurl. *all kinds of fruit serving for food.*
noceo, ui, citum, 2 conj., *I hurt.*
nix, nivis, *the snow.*
nive tegente, *because snow covers.*
orbis, is, *the world.*
tot, *so many.*
saeculum, i, *an age.*
interjicio, eci, jectum, 3 conj., *I place between.*
ulciscor, ultus sum, 3 conj., *I take revenge.*
offero, *I offer.*
curo, 1 conj., *I take care of.*
gravis, is, *serious.*
condono, 1 conj., *I forgive.*
supero, 1 conj., *I go over.*

§ 134. Per somnum horae labuntur, *nobis* non *sentientibus.* Noli edere aut bibere, *fame sitique* non *urgente.* Judex, qui statuit aliquid, *altera parte* non *audita*, iniquus est. Lacrimae cadunt, *nolentibus nobis.* Deus, *hac vita finita,* immortali vita nos donat.

somnum, i, *the sleep.*
hora, ae, *the hour.*
labor, lapsus sum, 3 conj., *I slip away.*
sentio, sensi, sum, 4 conj., *I perceive.*
fames, is, *the hunger.*
sitis, is, *the thirst.*
statuo, ui, tutum, 3 conj., *I decree.*
iniquus, a, um, *unjust.*
cado, cecedi, casum, 3 conj., *I fall.*
nolo, ui, nolle, *I will not.*

I. ABOUT THE SYSTEM OF THE UNIVERSE.

1. *Summary of Natural History.*

Universus mundus plerumque distribuitur in duos partes, coelum et terram. In coelo solem, lunam et stellas conspicimus. Terra cum ceteris elementis, igne, aëre et aqua hominum causa facta est. Ea montes habet cum silvis et herbis, saxis et metallis; valles cum pratis, floribus et graminibus; campos cum agris et frugibus, hortis et oleribus; maria, lacus, flumina et rivos, animalia et homines. Nubes pendent in aëre. Aves volant sub nubibus. Quadrupedes eunt aut currunt. Pisces natant in aqua. Vermes repunt in terra. Homines possident universam terram.

2. *The Sun.*

Sol, cujus magnitudo incredibilis est, globus est igneus, qui, cum surgit, tenebras noctis pellit, et omnia luce sua collustrat. Cum oritur, praecedit diluculum et aurora; cum occidit, crepusculum et nox sequitur. Idem minuit et abigit frigus, calefacit terram universam, et efficit, ut omnia vigeant. Est igitur fons luminis et caloris.

3. *Continuatio.*

Sol, quia modo propius, modo longius abest, quatuor anni tempora efficit, *ver*, *aestatem*, *auctumnum* et *hiemem*. Quo obliquius radii solis in terram incidunt, eo minorem habent vim calefaciendi. Itaque sol meridianus calidior est, quam matutinus vel vespertinus. Sol circa axem rotatur suum, planetae autem omnes circa ipsum. Quum luna inter solem terramque ita interponitur, ut solem obtegat, tum eclipsis solis contingit, idque non nisi nova luna fieri potest.

4. *Luna.*

Luna, ut terra, est corpus opacum, quod lumen suum a sole accipit. Noctu splended, et lumine suo stellas obscurat,

sed nullum calorem efficit. Saepe etiam interdiu cernitur, tum autem propter solis candorem pallida est. Varias illa mutationes lucis habet: modo enim nova luna est, modo crescens, modo plena, modo decrescens. In novilunio nihil lucis habet, cum sol aversam a terra partem collustret; sed post diem quartum decimum eo pervenit, ubi tota pars, a sole illuminata, in terrae conspectu est, idque plenilunium appellatur.

5. *Continuatio.*

Luna maculata est, et idem semper latus terrae obvertit. Eadem est satelles seu comes terrae nostrae, quam undetriginta diebus et duodecim horis ab occasu ad ortum versus ambit, et simul cum ea quotannis circum solem fertur. Quando terra ad lineam rectam inter solem lunamque interponitur, tum luna obscuratur, quae eclipsis lunae dicitur. Ea fieri non potest, nisi die plenilunii, neque semper est ejusdem generis. Nam modo pars tantum lunae obscuratur, modo totus ejus orbis tegitur. Quinquagies mille milliaria a terra abest, et magnitudine quinquagesimam fere terrae partem aequat.

6. *Fixae Stellae.*

Praeter lunam innumerae stellae coelum nocturnum ornant, quae dividuntur in fixas sive immobiles, et planetas sive mobiles. Fixae stellae sua luce fulgent, et eundem semper in ceteras locum obtinent, aequaliterque omni tempore ab iis distant. Inter eas stella polaris semper eodem loco ad septentrionem versus nobis apparet. Credibile est, fixas stellas totidem esse soles, et circum singulas, uti circa nostrum solem, moveri aliquot planetos, quos illae lumine et calore suo et illustrant et fovent. Albidus ille circulus, qui via lactea appellatur, innumeris stellis fixis constat, quae immenso a terra intervallo distant.

7. *Primarii Planetae.*

Planetae dividuntur in primarios et secundarios. Primarii planetae sunt septem: Mercurius, Venus, Terra, Mars, Jupiter, Saturnus et Uranus. Duo priores sunt soli priores, quam terra, ceteri ab eo remotiores. Hi planetae omnes circa solem moventur, ideoque non eodem semper loco con-

spiciuntur, unde planetae sive errantes vocantur. Veneris stella, cum ante ortum solis coelo fulget, Lucifer dicitur; cum post occasum solis conspicitur, Hesperus appellatur. Jupiter duodenis fere annis orbem suum explet, Saturnus tricenis.

8. *Secundarii Planetae.*

Secundarii planetae sunt, qui primarios semper comitantur, eosdem circumeunt, et una cum iis circa solem feruntur. Satellites eorum vocari solent. Ut igitur terra nostra unum habet satellitem, lunam: sic Jupiter quatuor, Saturnus septem habet satellites sive lunas. Omnes planetae, tum primarii, tum secundarii, sunt globi opaci, qui lucem a sole accipiunt. Haud dubie habitantur, ut terra nostra; quid enim impedit, quo minus et ipsi a naturis, quae Deum auctorem suum agnoscant, incolantur? Aliud genus stellarum snnt cometae, qui rarius apparent.

9. *Terra.*

Universa terra globi formam habet, unde etiam orbis terrarum dicitur. Globosam esse, patet ex umbra terrae rotunda in defectu lunae. Ea duplicem habet motum; etenim non tantum intra viginti quatuor horas ab occasu ad orientem versus circum axem suum movetur, sed etiam intra trecentos sexaginta quinque dies, cum luna comite, circum solem. Ille motus vicissitudinem diëi et noctis efficit: hic annum constituit et quatuor anni tempora. In altera ejus parte, quae a sole illustratur, dies est, in altera nox. Praeterea altero semestri boreale hemisphaerium, altero australe soli magis obvertit, unde in altero dies longiores sunt, in altero noctes.

10. *Continuatio.*

Superficies terrae aqua et humo constat, sed minor pars est terra continens, majorem aqua tenet. Ambitus ejus quinque millia et quadringenta milliaria complectitur. Quatuor sunt plagae mundi: septentrio, oriens, meridies, occidens. Praeterea dividitur terra in quinque zonas, quarum duae frigidae sunt, duae temperatae; una, quae media est, torrida. Varias illa res profert, ut frumenta in agris, plantas

in hortis, gramina in pratis, arbores in silvis. Sub terra nascuntur metalla, lapides aliaque fossilia.

11. *Aqua.*

In montibus fontes sunt, e quibus aqua scaturit, primum rivulis fluens, deinde rivis. Plures rivi confluentes fluvium efficiunt, flumina in mare seu oceanum effunduntur. Omnis aqua gravitate sua deorsum fertur; unde patet, ea loca, unde proveniunt flumina, altiora esse iis, quo volvuntur. Aqua fluida et pellucida est imagines rerum, quae sunt in ripa, itemque solis et nubium, speculi instar, repraesentat. Pura aqua neque saporem habet, neque odorem, neque colorem. Aqua pluvia fertilitatem terrae magis augeri, quam fluviali et fontana, notum est.

12. *Continuatio.*

Aquae inesse calorem, ipse liquor declarat, si enim omni calore privatur, fit glacies, quae calore resolvitur. Idem calor efficit, ut particulae aqueae perpetuo adscendant. Aërem etiam aquae inesse, bullulae in ea adscendentes satis arguunt. Nonnullae scaturigines aquam frigidam, aliae calidam, aliae acidam, aliae amaram promunt, contra varios hominum morbos. Aquae salsae sunt eae, quae salem communem secum ferunt. Hoc genus aquae vel fontibus salsis, vel mari continetur. Aqua res est utilissima et pernecessaria. Hominibus atque animantibus potum praebet, plantas terrae omnes nutrit molas aliasque machinas circumagit. Eadem cibos coquimus, nosque ipsos et alia omnia lavamus ac purgamus.

13. *Mare.*

Permagnum aquarum aequor mare dicitur, et si terram continentem circumfluit, oceanus, ex quo magna perpetuo vaporum copia adscendit. Idque necesse est fieri, quod mare aquarum vim per flumina illabentium capere non posset, nisi quotidie aliquam sui partem exhalando perderet. Omnis aqua marina salsa est et amara, ne putrescat. Hinc ea bibi non potest, ut aqua fontium et fluviorum. Eadem de causa gravior est fluviali, et multo majora onera sustinere potest; fert enim naves vastissimae molis. Inprimis memorabilis est affluxus et refluxus maris. Nimirum aqua maris quaternis

et vicenis horis in littore bis crescit, bisque decrescit, quae vicissitudo lunae motu gubernari creditur. Ceterum mare habet littora, promontoria, insulas, peninsulas, syrtes et scopulos: idem facit isthmos, freta et sinus.

14. *Aër.*

Universa terra undiqne aëre circumdatur, qui omnibus animantibus spiritum praebet, et sine quo neque animalia vivere, neque plantae crescere possunt. Is ubi terrae propior et vaporibus crassior est, vulgo atmosphaera, ubi remotior a terra et rarior est ac purior, aether vocatur. Inferior aër densior est graviorque superiore et a terra remotiore, quod ille aëris desuper incumbentis mole premitur. Aër liquidus est, pellucidus et elasticus, quae vis elastica in eo est, quod aër comprimi se patitur, sed compressu liberatus se ipse rursus extendit. Frigore condensatur, calore extenuatur atque extenditur. Idem quo altior, eo frigidior cst.

15. *Continuatio.*

Aër nunc pluvius, nunc serenus est; aestate calidus, hieme frigidus; vere et auctumno temperatus. Nunquam purus est, sed particulis salinis, sulphurëis aliisque mixtus. Quo autem purior aër, eo salubrior est. Levior aër adsurgit in graviore, ut olëum in aqua. Aër etiam sonum efficit, et quo purior est aër et tranquillior, hoc clarior est sonus; idem autem obtunditur a crassis humidisque vaporibus, in aëre natantibus, et ab occurrentibus ventis. Echo est repercussus aëris, qui, allapsus solidis corporibus, resilit. In aëre gignuntur res variae: nebulae, nubes, pluvia, nix, fulgura, tonitrua, irides et alia, quae Graecis meteora vocantur.

16. *Ventus.*

Aër raro plane tranquillus est, sed plerumque in motu versatur. Commotus aër ventus dicitur, leniter commotus aura appellatur. Quatuor sunt venti cardinales, flantes e quatuor plagis mundi: boreas (aquilo) a septentrione, eurus (subsolanus) ab oriente, auster (notus) a meridie, favonius (Zephyrus) ab occidente. Ventorum frigidissimus aquilo est, auster plerumque tepidus, favonius humidus, siccus subsolanus. Venti maxima nobis commoda adferunt; purgant aërem

vaporibus non salubribus, nimios temperant calores, et multas morborum causas removent. Iidem nubes ab uno loco ad alterum propellunt, post hiemem nives solvunt, terramque multa pluvia irriguam celerius, quam sol posset, siccant, naves et molas impellunt. Nonnunquam tamen damnum inferunt. Procella interdum arbores eradicat, aedificia evertit, navesque perdit. Turbo res obvias in gyrum agit. Subterranëus ventus nonnunquam terrae motum excitat, quo urbes pagique corruunt.

17. *Ignis.*

Ignis, causa lucis et caloris, lucet, calefacit, urit et comburit. Excitatur ille interdum contritu corporum, aut solis radiis, vitro caustico exceptis. Vulgo autem scintilla ejus ope chalybis e pyrite eliditur et fomite excipitur. Tum accendit sulphuratum, et inde candelam vel lignum. Ex eo adscendit fumus, qui vel dissipatur, vel camino adhaeret et fuligo fit. Quod ex combusto ligno remanet, cinis est. Multa corpora ignis liquefacit, ut aurum, argentum et cetera metalla. Omnis ignis alimenti indiget, nec permanere potest, nisi alatur, tum materia certa, tum aëris adflatu, sine quo ardere non potest. Idem est inter elementa levissimus.

18. *Lumen.*

Effectus ignis lumen est, quod ignis quaquaversus fundit. Vis luminis duabus maxime in rebus cernitur: primum in eo, quod ejus munere res corporeas cernere possumus; deinde in eo, quod colores efficit. Ubi enim lumen abest, ibi sunt tenebrae, atque evanescunt omnes colores. Lux omnium rerum est celerrima, et multo velocior, quam sonitus. Radii ejus semper ad lineam rectam moventur, neque ab ea devertunt, nisi cum e rariore materia in densiorem, veluti ex aëre in aquam, venerint. Id enim cum fit, deflectit radius, et baculus, oblique in aqua positus, fracti speciem habet. Cum radii luminis in solidum corpus incidunt, repelluntur densitate ejus, idque cum fit, reflecti lumen dicitur.

19. *Montes.*

Super terra sunt alti montes, elevati colles, profundae valles. Colles sunt parvi humilesque montes. Quo altiores montes, eo profundiores sunt valles. Celsissimi in orbe

terrarum montes sunt Peruviani in America, quorum summus quintuplo altior est, quam Bructerus Germaniae. Celsissimorum montium vertices etiam in calidoribus regionibus valde sunt frigidi; ideoque perenni glacie et nive teguntur, ut Alpes Helvetiae. Sunt etiam ignivomi montes sive Vulcani, quales sunt Aetna in Sicilia, et Vesuvius in regno Neapolitano. Ceterum multa montibus debemus commoda. Ex iis omnes rivi fluviique oriuntur, atque omnia metalla eruuntur. Proferunt herbas saluberrimas, coërcent impetum ventorum, et ab aestivis caloribus defendunt.

20. *Metalla.*

Metalla e montibus effodiuntur. Ea sunt vel nobilia vel ignobilia. Nobilia sunt aurum et argentum, ignobilia ferrum, aes seu cuprum, stannum, plumbum et argentum vivum. Aurum, quod est omnium gravissimum et nobilissimum, non tantum effoditur, sed reperitur etiam in quibusdam fluminibus. Ex auro et argento faciunt artifices nummos et varia ornamenta. Ferrum ex quo et optima et pessima instrumenta cuduntur, in omnibus fere terris reperitur. Chalybs durissimum ferri genus est. Ex cupro et stanno varia vasa conficiuntur, praeterea stannum, illitum aenëis vasis, compescit aeruginis virus. E cupro et cadmia fit orichalcum. Plumbum metallorum mollissimum, citius, quam cetera, liquescit. Argento vivo omnia metalla innatant, praeter aurum.

21. *Lapides.*

Lapides dividuntur in vulgares, rariores et pretiosos. Vulgares sunt saxum, cos, silex, pyrites; rariores sunt magnes, crystallus, marmor; pretiosi sunt gemmae. Saxa sunt petrae partes, e quibus muri atque aedificia exstruuntur. Cotibus acuuntur res obtusae, ut cultri tonsorii. Silices liquefacti vitrum fiunt. Chalybis et pyritae conflictu ignem elici, notum est. Magnes, prae aliis admirandus lapis, ferrum attrahit, satisque tenaciter retinet; quam virtutem cum ferro quoque communicat; deinde, si libere fertur, dirigit se ad polos mundi, et acus magnetica semper septentrionem spectat, ut nautae secundum eam cursum dirigere possint.

22. *Continuatio.*

Crystallus est lapis pellucidus, valde durus. Marmor est vel candidum, vel maculosum et varii coloris. Pumex, lapis cavernosus, natat in aqua, estque ad corpora laeviganda utilissimus. Lapide Lydio aurum argentumque probatur. Gemmae, e terra effossae, rudes et sine splendore sunt, acuuntur deinde et ab aurifice includuntur auro. Sunt eae vel pellucidae vel opacae, quales sunt smaragdus viridis, rubinus rubicundus, topazius pallidus, sapphirus caeruleus. Verum pretiosissima gemmarum ac durissima adamas est, splendore nitidissimo variisque coloribus radians. Attamen lapis molaris eum utilitate longe superat.

23. *Plantae.*

Omnis planta in tres partes dividitur, radicem, truncum et ramos, e trunco, qui in mollioribus ac minoribus plantis caulis vocatur, surgentes. Rami porro gemmas, frondes, folia, flores, fructus et semina efferunt. Extrinsecus cortex, intus medulla est. Radices sunt partis plantae, terra tectae, unde humorem sugunt, qui alimentum plantis praebet, et succus nutricius dicitur. Sed nutricius ille humor non tantum per radices, sed etiam per foliorum poros plantas ingreditur, unde fit, ut sine foliis, quippe quae humores ex aëre attrahant, nullus fructus ad maturitatem pervenire possit. Ceterum omnis planta nascitur et propagatur ex alterius vel surculis gemmisve vel radicibus, vel denique seminibus. Neque tamen omnes plantae omnibus locis nascuntur.

24. *Arbores.*

Arbores sunt vel fructiferae vel steriles. Fructiferae sunt apud nos malus, pirus, cerasus, prunus, morus, nux, persicus, castanea. Steriles sunt abies, pinus, betula, fagus, fraxinus, salix, tilia. Quaedam sponte sua proveniunt, quae silvestres ac ferae dicuntur; aliae ope humana gignuntur, et hae meliores proferunt fructus. Arborum aliis folia auctumno decidunt, ut malis, piris ceterisque pomiferis; aliae semper virent, ut abies, taxus, laurus aliaeque plures. Celissima arborum cedrus est. Arbores lignum praebent non tantum ad comburendum, sed etiam ad aedificandum aliasque res necessarias. Trunci maximarum arborum, aut in asseres secantur, aut trabes ex illis caeduntur.

25. *Flores.*

Flores mirae sunt varietatis, et cum ceterae plantae usus alimentique causa in terra gignantur, flores facti sunt, ut pulchritudine oculos pascant, odoribus nares delectent, hominumque voluptati inserviant. Florum notissimi sunt viola, rosa, lilium, narcissus, tulipa, hyacinthus, caryophyllum. Florum ver nuntiantium prima est viola. Rosae differunt multitudine foliorum, colore, odore. Lilium rosae nobilitate proximum est, ejusque candor et odor eximius. Sunt etiam rubentia lilia et lutea. Multi flores gratum spirant odorem; alii visu tantum jucundi sunt, ut tulipa, decus florum, quae solo adspectu delectat. Ex odoratis floribus serta et serviae nectuntur.

II. FABLES OF AESOP.

1. *Mus et Milvius.*

Milvius laqueis irretitus musculum exoravit, ut eum corrosis plagis liberaret. Quo facto, milvius liberatus murem arripuit et devoravit.

Haec fabula ostendit, quam gratiam mali pro beneficiis reddere soleant.

2. *Hoedus et Lupus.*

Hoedus, stans in tecto domus, lupo praetereunti maledicit. Cui lupus, non tu, inquit, sed tectum mihi maledicit.

Saepe locus et tempus homines timidos audaces reddit.

3. *Asinus.*

Asinus, pelle leonis indutus, territabat homines et bestias, tanquam leo esset. Sed forte, dum se celerius movet, aures eminebant; unde agnitus in pistrinum abductus est, ubi poenas petulantiae dedit.

Haec fabula stultos notat, qui immeritis honoribus superbiunt.

4. *Corvus et Lupi.*

Corvus partem praedae petebat a lupis, quod eos totum diem comitatus esset. Cui illi, non tu nos, inquiunt, sed praedam sectatus es, idque eo animo, ut ne nostris quidem corporibus parceres, si exanimarentur.

Merito in actionibus non spectatur, quid fiat, sed quo animo fiat.

5. *Vulpes et Leaena.*

Vulpes leaenae exprobrabat, quod nonnisi unum catulum pareret. Huic dicitur respondisse, unum, sed leonem!

Haec fabula, non copiam, sed bonitatem rerum aestimandam esse, docet.

6. *Mulier et Gallina.*

Mulier vidua gallinam habebat, quae ei quotidie unum ovum pariebat. Illa existimabat, si gallinam diligentius saginaret, fore, ut illa bina aut terna ova quotidie pareret. Quum autem cibo superfluo gallina pinguis esset facta, plane ova parere desiit.

Haec fabula docet, avaritiam saepe damnosam esse.

7. *Agricola et Anguis.*

Agricola anguem reperit, frigore paene extinctum. Misericordia motus, cum fovit sinu et subter alas recondidit. Mox anguis recreatus vires recepit, et agricolae, pro beneficio, letale vulnus inflixit.

Haec fabula docet, qualem mercedem mali pro beneficiis reddere soleant.

8. *Ranae.*

Ranae laetabantur, quum nuntiatum esset, Solem uxorem duxisse. Sed una ceteris prudentior, O vos stulidos, inquit; nonne meministis, quantopere nos saepe unius Solis aestus excruciet? Quid igitur fiet, quum liberos etiam procreaverit?

9. *Equus et Asinus.*

Asinus, onustus sarcinis equum rogavit, ut aliqua parte oneris se levaret, si se vivum videre vellet. Sed ille asini preces repudiavit. Paulo post igitur asinus labore consumtus in via corruit et efflavit animam. Tum agitator omnes sarcinas, quas asinus portaverat, atque insuper etiam pellem asino detractam, in equum imposuit. Ibi ille sero priorem superbiam deplorans, O me miserum, inquit, qui parvulum onus in me recipere noluerim, quum nunc cogar tantas sarcinas ferre, una cum pelle comitis mei, cujus preces tam superbe contemseram.

10. *Senex et Mors.*

Senex in silva ligna ceciderat, iisque sublatis domum redire coepit. Quum aliquantum viae progressus esset, et onere et via defatigatus, fascem deposuit, et secum aetatis et inopiae mala contemplatus, mortem clara voce invocavit,

quae ipsum ab omnibus his malis liberet. Tum Mors, senis precibus auditis, subito adstitit, et, quid vellet, percunctatur. At Senex, quem jam votorum suorum poenitebat, nihil, inquit, sed requiro, qui onus paululum allevet, dum ego rursus subeo.

11. *Agricola et Filii.*

Agricola senex, quum mortem sibi appropinquare sentiret, filios convocavit, quos, ut fieri solet, interdum discordare noverat, et fascem virgularum afferri jubet. Quibus allatis, filios hortatur, ut hunc fascem frangerent. Quod quum facere non possent, distribuit singulas virgas, iisque celeriter fractis, docuit illos, quam firma res esset concordia, quamque imbecillis discordia.

12. *Vultur et Aviculae.*

Vultur aliquando aviculas invitavit ad convivium, quod illis daturus esset die natali suo. Quae, quum ad tempus adessent, eas carpere et occidere, epulasque sibi de invitatis instruere coepit.

13. *Corvus.*

Corvus qui caseum forte repererat, gaudium alta voce significavit. Quo sono alecti plures corvi famelici advolaverunt, impetuque in illum facto, opimam ei dapem eripuerunt.

14. *Cornix et Columba.*

Cornix columbae gratulabatur foecundidatem, quod singulis mensibus pullos excluderet. At illa: ne mei, inquit, doloris causam commemores. Nam quos pullos educo, eos dominus raptos aut ipse comedit, aut aliis comedendos vendit. Ita mihi mea foecunditas novum semper luctum parit.

III. ANECDOTES.

1. Leonidas, rex Lacedaemoniorum, quum Persae dicerentur sagittarum multitudine solem obscuraturi, respondisse fertur: melius itaque in umbra pugnabimus.

2. Idem, cum Xerxes scripsisset: mitte arma, respondit: veni et cape.

3. Aristippus, cum famulus, in itinere pecuniam gestans, onere premeretur: abjice, inquit, quod nimium est, et fer, quod potes.

4. Carneades usque ad extremam senectam nunquam cessavit a philosophiae studio. Saepe ei accidit, ut, quum cibi capiendi causa accubuisset, cogitationibus inhaerens, manum ad cibos appositos porrigere oblivisceretur.

5. Faxiles, unus e regibus Indiae, occurrens Alexandro, sic eum allocutus est: provoco te non pugnam neque ad bellum, sed ad aliud certaminis genus: si inferior es, a nobis accipe beneficium: sin superior, nobis benefacito. Cui Alexander: atque, inquit, de hoc ipso nobis certandum est, uter benefaciendo superet alterum.

6. Alexander Ephesi imaginem suam, quam Apelles, celeberrimus pictor, pinxerat, contemplatus, minus laudavit picturam, quam illa merebatur. Quum autem introductus equus adhinniret equo picto, quasi et hic verus esset equus, tum Apelles: O rex, inquit, equus hic artis pingendi peritior, quam tu, esse videtur.

7. Euripides, qui et ipse magnum inter poëtas tragicos nomen habet, a coena domum rediens a canibus laceratus est.

8. Athenienses, quondam ab Euripide postulabant, ut ex tragoedia sententiam quandam tolleret. Ille autem in scenam progressus dixit; se fabulas componere solere, ut populum doceret, non ut a populo disceret.

9. Simonides, poëta praestantissimus, gloriatur in quodam poëmate, se octoginta annos natum in certamen musicum descendisse, et victoriam inde retulisse. Idem, aliquamdiu vixit apud Hipparchum, Pisistrati filium, Athenarum tyrannum. Inde Syracusas se contulit ad Hieronem regem, cum quo familiariter vixisse dicitur. Primus carmina statuto pretio scripsit, quare eum musam venalem reddidisse dicunt.

IV. COLLOQUIES.

A. DE DEO.

1. *Pater. Filius.*

PATER. Quid putas, mi fili, si consideras haec prata, hos flores, has arbores; si conspicis fruges in agris, pisces in aquis, aves in aëre, solem in coelo; num haec omnia casu fortuito orta sunt? FILIUS. Hoc credere, stultitia esset maxima. P. Unde igitur omnia habent originem? F. A Deo, qui conditor est omnium rerum. P. Recte. Deus auctor est coeli, solis, lunae et siderum; ignis, aëris, aquae et telluris; hominum, bestiarum, quadrupedum, àvium, piscium, amphibiorum, insectorum et vermium; plantarum, fruticum et arborum; marium et fluminum, montium ac vallium; lapidum, metallorum et salium. Unde igitur nosti (novisti), Deum esse? F. Ex innumeris ejus operibus.

2. *Continuatio.*

P. Unde tu ipse ortus es? F. Ab eodem. Solus enim Deus est, qui mihi corpus et animum dedit, cibum, potum et vestes suppeditat, vitam et salutem conservat, aliisque beneficiis innumeris me cumulat. P. An tu praestantior es, quam equus aut aliud animal? F. Sane. Homo enim sum, in quo inest animus ratione praeditus, qualem nullum aliud animal habet. P. Cur autem animalia rationem non habent? F. Quia sic hominibus, quorum causa adsunt, utiliora sunt. P. Nonne igitur maximas gratias agere debemus Deo nostro, benignissimo patri, qui nobis tot bona tamque varia largitur? F. Id qui non facit, is profecto est ingratissimus.

3. *Continuatio.*

P. Ubi autem est Deus, pater ille benignissimus? F. Ubique est nobis praesens, nec ulla est latebra tam obscura, aut abdita, in qua Deus non adsit. P. Ergo nec poterit ei aliquid esse obscurum? F. Nihil prorsus est, quod Deus nesciat.

Videt omnia, quae agimus; audit verba omnia, quae loquimur; quin novit etiam cogitata nostra omnia, tam bona quam mala. P. Cave igitur, ne quid unquam facias aut cogites, quod Deo displiceat. Licet enim homines fallas, Deum tamen nunquam fallere poteris. Ubi autem recte agis, tum laetare, quod Deus illud norit, qui probitatem tuam olim remunerabitur.

4. *Continuatio.*

P. An potes videre Deum? F. Minime; non enim corpus habet, ut homines, ideoque, etsi ubique est, nusquam cerni potest. P. Nonne etiam in te est natura talis, quae non cadat in oculos? F. Est, nempe animus, qui in nobis viget. P. Num autem Deus etiam aliquando ortus est, ut animus tuus? F. Nunquam neque factus est, ut Angeli; neque natus, ut homines, sed ab aeterno fuit. P. Estne aliquando moriturus, ut homines? F. Nunquam moritur, sed ut fuit sine initio, ita etiam erit sine fine. P. Cura igitur, ut Deum tibi amicum facias, qui, cum sempiternus sit, perpetuo te felicem reddere potest.

5. *Continuatio.*

